

Claudam. Hic assutus, nuper natusque vocatus.

6 Ridenda profecto Ethnicorum cæcitas, quam aggravabant figmenta Poetarum, plaudentium quæ somniant, & ornantium quæ ridebant. Sub titulo Primogeniti (& jure, igitur simili modo nunquam natus est homo) plaudit Dionysium Magus insignis Orpheus, Hymn. 29. in quod comminicitur singularem metamorphosim, Hymn. 5. Pende griphum.

Primogenitus, Orgeus, Phænacia.

Primogenitum voco biforem, magnum in athere errantem,

Ex ovo genitum, aureis gaudentem alis, Tauri clamorem habentem, genus beatorum mortaliumque hominum.

Orpheus. Quique memorandam Orgium invenit Pæan; Inenarrabilem, occultam, sonantem, ubique lucecentem ramum

Oculorum qui tenebrosam excussisti nubem, quod versum

Volutus alarum incitantis, per mundam Emicantem ducens lucem puram, à qua te Phænæa voco.

Hinc patet, quàm delirus. Ejus metamorphoses describit Nonnus, d. lib. 36. à v. 302. quem videris, si vacat. Ampliora in ejus natali, 4. August. Frequenter ne caderet honor foeminarum (ferentium in utero facilitatis insigne) Dijs olim illarum attributi fortis: non solumque Dijs; sed sub forma draconis, modo evaderent viri magni. De Alexandro Magno, inquit Justin. lib. 11. Mater ejus Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingenis magnitudinis concepit: igitur Alexander cupiens originem divinitatis acquirere, simul & matrem infamiam liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum Ammonis, statim antistes, ut Ammonis filium salutavit: ille letus Dei adoptione, hoc se patre censei jubet. Eadem apud Plutarch. in Alexandr. Q. Curt. lib. 4. cap. 7. Freinshem. & Blancard. hic: embolium fatanæ videbimus ad ejus generationem. April. die 6. Inolevit hujusmodi fatuitas etiam inter Romanos: unde P. Scipionem, filium draconis dixerunt. Aul. Gell. fuscè lib. 7. cap. 1. de quo Nos 26. Mart. à n. 16. Idem de Augusto, ut videbimus 30. Novembr. Lulit Sidon. Apollinar. Carm. 2. à v. 121. Magnus Alexander, necnon Augustus, habentur

Viri magni dicebantur concepti à Dijs sub draconis specie.

Concepti serpente Deo; Phœbumque Jovemque Divisere sibi: namque horum quesivit unus Cynisâ sub Syrte patrem: maculis genitricis Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

Sidon. Ap.

Idem Ælian. 1. Histor. var. cap. 25. Verum, quod Servius ad illud Virgil. 6. Æneid. v. 321. Deum certissima proles; inquit: Multi ad gloriam nominis signant, seu potius simulant se Numinum filios, ut Romulus ex Marte, Alexander ex Jove. De Alexandro dicit etiam Gellius loc. cit. & lib. 13. cap. 4. Quæ quidem mania ita inter primates foeminas serpfit; ut propter istiusmodi gloriolam, amplecterentur infamiam; uti asserit Sext. Aurel. Victor in Epitom. de Galerio: Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis, compressam dracone senet concepit. Ita ex dracone Bacchus, unde Sabazia; ut accinit Nonnus, 6. Dionys. à vers. 158. Ipsa sacra & ritus imitationis ipsius, quibus Sabazii nomen est (inquit Arnob. d.) testimonia esse poterunt veritati; in quibus aureis coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus. Jul. Firmic. Marten. de Error. profan. Religion. Macrobi. 1. Saturnal. cap. 18. Ludov. Carrio de Emendation. lib. 2. cap. ult. Aristophan. in Vespis. & Dempster. in Rosin. lib. 2. cap. 11. Quid in hujusmodi sacris; claret ex inhibitione, & à populo impudico. Novos Deos & in his colendis nocturnas pervigilationes Aristophanes Poeta veteris comœdia vexat. Apud eum Sabazius & quidam alij Dijs, peregrini judicati, è civitate eiciantur. Ita Cicero, 2. de Legib. Hac in die, ut vidimus pridie, num. 10. singularia privilegia, ab ipsisque summe optata, Alexander Magnus, Jerusalem ingressus, regiæque habitus, Judæis pridem insensis, liberalissimè concessit, ac multos ex illis in militiam admittit. Josephus, 11. Antiquit. cap. 8. Petri. Comest. in Esch. cap. 4. & Adrichom. in Chronic.

Alexander Magnus Judæos honorat.

7 Chalcedonij cujuscunque mensis viginti primam diem funestam & portentotam habuere, quod illà Darij Præfectus Pharnabazus ipsorum pueros castravit, & in Persidem mittit. Alex. Neapol. lib. 4. cap. 20. ex Plutarch. in Alcibiade. & Nonnius in Asia Minor. Goltz. Tabul. 5. Vid. 21. Septemb. n. 5. Epicuri natalis, quem Athenæus lib. 7. signat die 25. Plin. lib. 35. cap. 2. die 20. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 19. At hodie præfigitur à Briet. V. C. Ann. 413. Sectatores feriatos dies quolibet mente habebant, queis natale celebrabant, dicebantque scad. in honorem magistri: quem quidem tam sanctè habuerunt; ut illius imaginem non solum annulis, sed etiam poculis ferrent insculptam. Vultus Epicuri per cubicula gestant, & circumferunt secum (ait Plin. d.) natali ejus vigesima Luna sacrificant,

Teader ejus.

DIES XXII. JANUAR.

cant, feriasque omni mense custodiunt, quas Ictadas vocant, hi maxime, qui viventes se nec quidem nosci volunt. Felicitatis omen arbitrabatur illius imaginis gestationem. Dalecamp. hic. Unde Seneca, Epist. 64. Quidni ego (ait) magnorum virorum & imagines habeam, incitantia animi, & natales celebrem? Diximus aliqua, Prolog. §. 8. n. 19. Laert. 10. de Vir. Philosoph. succinit:

Laert.

Hoc moriens charis Epicurus dicit amicis:

Dogmatis o memores usque valete mei.

De dogmatibus variè judicium AA. & Ethnicorum & Catholicorum. Vide Expositores in Act. Apost. 17. 18. Ex Seneca usquequaque, Laert. in ejus Vir. & maxime ex Epicuri scriptis, claret voluptatis potissimus fautor; sed ejus, quæ percipitur animo conscientia pura, & vitâ quoad alios sine querela: verum impuri discipuli ad turpes sensibiles voluptates stolidè transfulerunt.

Diana Bubasta.

8 Apud Ægyptios Sacra Diane Bubaste. Constat, falli Juvenalem, dum dicit Satyr. 15. v. 8. Oppida Canem venerantur, nemo Dianam. Utrumque Numen colebant Ægyptij: unde Bubasti ubi templum insigne Dianæ, ut ait Herodotus lib. 2. n. 17. etiam simulacrum Anubis, specie canis sistrum tenentis. Mirum non est (inquit Kircher. in templ. Isiac. cap. 4.) canem ibi loco Numinis habitum, cum Diana venatrix sit. Ibi præfectura Ægypti, quam civitatem olim Gessen dictam, autumat Abenephius cum alijs; ad cujus templum quotannis peregrinabantur Aves, relinquentes ibi unum ex ovis testâ insigne. Kircher. d. Ibi etiam Osiris & Isis colebantur sub forma boum (unde nomen, Sebastus) quorum unus Apis Memphis, alter Mnevis ab Heliopolitis dictus, qui simul Ægyptijs apparere juxta Nilum. Isis comes signatur ab Ovid. 9. Metam. fab. 12. dicente: Cum qua latrator Anubis. Sanctaque Bubastis. At pro ipsa Diana accipitur sub titulo Isis ab Herodoto, d. de qua in columna templi scriptum, refert Diodor. Sicul. 1. n. 9. Ego Isis sum Ægypti regina, à Mercurio erudita: quæ legibus statui, nullus solvet: uxor Osiridis, Florimater, frugum inventrix, in Astro Canis refulgens, Bubasta condita mihi. Gaude Ægypte, me nuristi. Raphaël Regius in loc. citat. Ovid. Dempster. in Rosin. lib. 2. cap. 7. Kircher. Tom. 1. Oedip. Syntagm. 3. cap. 4. & Gyrald. Syntagm. 12. num. 50.

Anubis imago.

Boves Ægyptij.

Tituli Isis, seu Diana.

Vid. 7. Decembr. & d. seq. num. 7.

Tom. I. Ephem.

1 Gradus secundus Solis in Aquario. XI. K. F. Tenebrosus. Dariot. hic gradus in horoscopo facit pictores & artifices, qui pacificè morientur. Firmic. Aquila volans vesperè occidit. Junctin. Kalend. Astrolog. Fidula oritur vesperino cum Cancro. Columell. & Ptolom. occidit, & vesperè pluit. Nicol. Leonic. ex ipsis. Vir ambabus manibus caput suum tenens. Sph. Arab. Traduntur Moyse perfectè cortinæ Tabernaculi tam internæ, quàm externæ. Aben-Ezr. Describuntur, Exod. 26. à 1. & 36. à 8. Postquam Herodes Româ redijt Hierosolymam purgatâ accusatione Antipatri filij coram Augusto, in hujus honorem inter portam auream & speciosam, ut describit Adrichom. in Jerusalem. n. 102. dedicavit donum pretiosum, Aquilam scilicet auream magni ponderis. Quidam juvenes scholam frequentantes Rabbitorum, Judæ nempè & Mathiæ (qui tunc ab illo Pontifex summus) interpretum patriæ legis, illorum instantiâ, claro meridie detractam è base Aquilam, securibus consciderunt, inspectante congregatâ in templum multitudine. Quadraginta ex his comprehensi sunt, cum facinoris auctoribus Judæ & Mathiæ à præfatore aulæ regiæ, quos perduxit ad Herodem. Vincos hic Hierichuntem misit, questus de Judæorum ingratitude; cum ipse solus instaurasset templum, & nimis in ejus studiis set ornatum, operâ & opere munifico, quale per totum tempus nullus Assamonæorum illustrium Regum valuit ad honorem Dei perficere; donatis votivis muneribus tam speciosæ structuræ dignissimis. Tunc Mathiæ ademit sacerdotium, quasi non alieno ab hoc consilio. Alij Mathiam auctorem facinoris scribam dicunt, non summum sacerdotem: maxime narrare Josepho, 17. Antiquit. cap. 8. Herodes post multatum Mathiam sacerdotio, alterum Mathiam seditionis auctorem, ejusque socios vivos exussit. Addit, lib. 1. de Bell. cap. 31. Reliquos qui una comprehensi sunt, obruncandos carnificibus tradidit. Quid post Herodis obitum regnante filio Archelao contigerit in die Paschatis, dicemus ex ipso, lib. 2. cap. 1. de Bell. 14. Martij. n. 16. Anno 51. Christi, dies decimus sextus ejus sacri jejunii.

XI. K. F.

Cortina Tabernaculi perfectæ.

Statua aurea in templo.

Dies XVII. jejunijs Christi.

Scipionis Æmilianij obiit.

2 Romæ Mors inopina Scipionis Minoris, qui dictus Æmilianus. Beyerl. Haud decepsit sine suspitione veneni, quod ei miscuerat Sempronius uxor ejus, & Gracchorum

rum foror. Hujus mortis causa Carbo fuit, qui tunc plebis tribunus. Cum obstitentem sibi haberet Scipionem coram interrogavit audiente populo, quid de Tiberij Gracchi nece sentiret? Sine tergiversatione Æmilianus respondit: Si Gracchus Reipub. ruinam molitus esset, jure casum videri: Ob id populus intumescens, cui susurranti & obstrepenti etiam respondit: Sileant utique, quibus Italia non mater, sed noverca est. Paulò post ille sine ullo precedente morbo, inventus est in lectulo mortuus. Clarent tunc quotæ factiones Urbis, dum everforis Numantiæ & Carthagini, non solum inulta mors; sed nec instituta quæstio. Queritur Plin. 10. cap. 43. dicens: Scipionis verò Æmiliani post Carthaginem Numantiæque deletas, ab eo nemo vindicaverat mortem. Turfel. V. C. Ann. 624. Petav. 1. p. Rationar. lib. 4. cap. 11. & 14. Vellejus Patercul. 2. & Plutarch. in Scipion. Afric. Res ejus ac gesta latè memorat Liv. lib. 26. à sect. 135. & lib. 27. sect. 61. denique lib. 28. à sect. 44. Eodem die post 39. annos, prodigia visa belli Socialis, seu Marfici, de quo 26. April. A pluribus describuntur. Ingens terrarum portentum (ait Plin. lib. 2. cap. 83.) in agro Mutinensi. Nam montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque; inter eos flammâ, fumoque in cælum exente interdium, spectante è via Æmiliâ magna equitum Rom. familiarumque & viatorum multitudine. Eo concursu villa omnes elisa, animalia permulta quæ intra fuerant, exanimata sunt, anno ante sociale bellum: quod haud scio, an funestius ipsi terra Italia fuerit, quam Civilia. Etiam refert Ravil. Textor, 7. Officin. cap. 53. sed in portentum belli civilis inter Marium & Syllam. & Nos Tom. 4. T. 10. n. 16. Augustin. graphicè lib. 3. Civit. cap. 23. Antea quam se adversus Romanam Sociale Latium commoveret, cuncta animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves, & quaque alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata & domesticæ lenitatis oblita, relictiis tectis, libera vagabantur; & omne non solum aliorum, verum etiam dominorum aversabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis, si quis è proximo urgeret. Quod quanti mali signum fuit? Quod si hoc signum fuit, quod tantum malum fuit; quantum malum fuit illud, cujus hoc signum fuit? Orolius quoque lib. 5. cap. 7. Jul. Obsequens, de Prodigijs. Bulenger. 1. System. lib. cap. 7. referunt. Simile quid invenitur apud Dionys. in orbis perjege. inter Illyricos. Circum terram illam (ait v. 181.)

Prodigia horribilia belli Socialis.

Montes multi.

Es petre fransissima.

utrinque dua petra firmantur, que concurrunt agitata; quando aliquod initium incolis cladis imminentis accidit.

3 Jocus summæ festivitatis M. Antonij Triumviri de Atheniensibus, cum transiret per Atticam in Ægyptum. Haud ullum blandimen aptius & potiùs multatum. Nam cum Antonius vellet (inquit M. Seneca, Suasor. 1.) se Liberum Patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi juberet, habitu quoque & comitatu Liberum imitaretur; occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus & liberis, Dionysium saturantes. Bene illis cesserat, si nasus Atticus ibi suspirasset. Dixerunt despondere ipsos in matrimonium Minervam suam; & rogaverunt, ut duceret. At Antonius ait, ducturum; sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Tum è Græclis quidam ait: Domine, Jupiter matrem tuam semelen indoratum habuit. Huic quidem impune fuit, sed Atheniensium sponsalia mille talentis astimata sunt. Xiphelin. etiam in Augusto. Gyrard. Syntagm. de Musis, alijque plures, quos adducemus testes audacissimæ inverecundiæ in nuptijs cum Deabus (uti dicitur de Antiocho cum Nanea) Tom. 8. T. 11. n. 11. Carissima prorsum assentatio, plausibilique lepor cum sale & pipere. Hæccine festivitas videri quibat, quasi retorquentis in blandientes adulationis spicula; sed sibi cuncta arrogabat: etenim ausus est, se nomine Salomonis insigniri. Ejus nummi facies altera M. Antonium, Rom. Imperij Triumvirum, ostentabat; cujus Hebraica hæc erat inscriptio: Rex Salomon. Altera verò facies templum exprimebat. Villalp. in Epist. Dedicator. Tom. 2. in Ezech. in princip. & Causin. lib. 4. Symbol. 44. Sanè obstupuit asinus ad Lyræm. Arbitror industriâ Herodis Magni, à quo regnum acceperat, semperque suorum scelerum habebat patronum: dum cum Cleopatra venit in Arabiam & Judæam, hujusmodi blandimen meditatum, maxime infestâ Cleopatrà, quæ Herodis divitijs inhiabat. At Herodes quantumvis flagitijs gravatus lenocinijs & muneribus ad se traxit Antonium. Cum venit ad Antonium (inquit Joseph. 15. Antiquit. cap. 4.) muneribus eum placavit; ita ut posthac ponderis apud eum minus haberet Cleopatra instigatio. Nihil satis erat mulieri sumptuose, & voluptatibus dedita, cujus cupiditates vix totius orbis expleri possent opibus.

M. Antonij locus in Atheniensibus.

Arrogantia umma.

Cleopatra Herodi infesta.

4 Areopagus Athenis institutus cum sacris Marti (ibi absolutus à pœna homicidij sex sententijs Deorum, judicantibus duodecim) ut ait Pausan. cap. 19. & 26. Augustin.

gustin 18. Civitat. cap. 10. ex Varron: & Isidor. Pelusiota, lib. 2. Epist. 91. Ita. K. Græc. Institutionem hujus celeberrimi Senatû Aristotel. 2. Politicor. cap. 10. refert ad Cecropem: frequenter tribuitur Soloni. Plutarch. in eo, & Cicer. 1. de Offic. Maxima hujus Senatus auctoritas; etenim vel Rex causam ad eos inducens, inter ipsos positâ coronâ sedebat, & ob integritatem judicij, etiam Romani Proconsules graviores causas ad illos judicandas remittebant. Unde illud celebre in dubio jure judicium, quo fulminata sententia, cognitâ causâ, iusserunt tam accusatorem, quàm reum ante tribunal pro decisione post centesimum annum adesse. Aul. Gel. lib. 12. cap. 7. Cicer. ad Attic. lib. 1. Epist. 13. & Carol. Sigon. de Atheniens. Republ. Munus signatur ab Alexandr. Neapol. lib. 4. cap. 11. Quorum consilio librata moderatione, civitatis jura servabantur, bella indicabantur, lites explicabantur. Fallitur, quippe hæccine, alia concilia spectabant. In Areopago autem (ait Demosthen. Orat. 1. Contra Aristogit.) tantum cause homicidarum, qui Martiali aut hostili animo quempiam trucidassent; cum de cadibus fortuitis ad Palladium tribunal ageretur. Etiam Plutarch. in Solon. At industriâ Periclis, qui in albo illorum adscribi non potuit, auctoritas derogata. Populi auxilio Senatum istum factione sua vicit, effecitque; ut ei major pars judiciorum adimeretur. Idem, in Pericle. Tantum eligebantur in Areopago judicaturam, qui novem Archonton imperium gessissent, vel Archon fuisset, Rex, thesmotheta (legum inspector) vel polemarchus (id est dux belli supremus) datâ ratione integritatis magistratus, juxta leges functi. Idem loc. cit. Judicabant noctû ac in tenebris, non interdium neque luce; ut causas cognoscerent, non litigantes: non dicentes, sed erga judicanda, sententiam proferentes non verbis, sed calculis. Lucian. in Scelis, Macrobi. lib. 7. Saturnal. cap. 1. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5. Apulejus, 10. Metam. & Quintil. lib. 6. Institut. cap. 1. Prædem non ita; sed lex lata ex judicio in Phrynes causam. Accusata ergo in Areopago, clarâ luce causam tuebatur orator Hyperides: at cum nihil se proficere intelligeret (equidem clarissimum videbatur), iudices in eam nigros calculos immisuros) inducens peplum laceravit, & ostendit pectus faciemque nudam; posteaque oravit, fecitque, ut acerrimus juris ille Senatus fascino pulchritudinis ream quasi infontem absolveret. Athen. lib. 13. cap. 22. Quintil. d. lib. 2. cap. 15. & lib. 10. cap. 5. Tiraquellusque in

Areopagi iudices, munus & auctoritas.

Merita in judicaturam.

Modus judicandi.

Phryne noxia pulchritudine liberatur.

Leg. Connub. p. 2. n. 61. & in Alex. Neapol. lib. 3. cap. 5. Hinc ne ipes esset in iudicium misericordia, sed in causâ jure; lege cautum, ut iudicia in tenebris agerentur, ne in clementiam contra jus aspectus damnandi iudicium moveret affectus.

5 Situs Areopagi erat collis Martis, in quo ut diximus, primum iudicium de homicidio. Rhodigin. lib. 12. cap. 19. Ad antiquitatis exemplar Areopagus Athenis luteo & paleâ tegebatur. Alex. Neapol. lib. 6. cap. 11. Regio Areopagi (inquit Pausan. cap. 27.) inde nomen accipit, quod Mars eo in loco primus capitis causam dixerit (refert cap. 19.) extatque adhuc Minerva Area ara (de qua diximus 5. die, n. 12.) quam Orestes jam absolutus dicitur dedicasse. Proximè Dearum est aedes, quas Athenienses Severas vocant: Hæstiodus Erinnyis: earum serpentibus esse crimem implicitum, finxit Æschylus. Nihil tamen vel harum vel cæterorum, quæ illic posita sunt, Inferorum Numinum simulacra, quicquam horribile præ se ferunt. Platonis, Mercurij & Telluris ibi sunt signa; ad quæ rem divinam faciunt, quicunque in Areopagico iudicio capitis iudicio fuerint liberati. Inter septem Areopagi, Oedipi monumentum est, cujus ossa Thebis, eò deportata comperi. Propter hujusmodi honorem ridet Athenienses Valer. Maxim. lib. 5. cap. 5. jure dicens: Interim cineribus vestris sedè ac miserabiliter dispersis, Oedipadis ossa cade patris, nuptijs matris contaminata, inter ipsum Areopagum, divini atque humani cœraminis venerabile domicilium, & excelsis præsidij Minerva arcem honore ara decorata, quasi sacrosancta colitis. Propter duodecim Deos, qui primo iudicio astiterunt, duodecim tantum in Areopago iudices destinati. Natal. Com. lib. 2. Mytholog. cap. 7. Vide alia apud Ubbon. Emmium in Atheniens. Republ. & Turfelin. cum Briet. Ann. 2546. Aperiebatur Senatus Areopagi quolibet mensè secundâ, tertiâ ac quartâ die post ingressum Solis in Signum: claudabaturque pridie Kal. Meursi. in Attic. Aliter Jul. Pollux lib. 8. cap. 38. qui hujusmodi dies signat mensis deficientis, uti videbimus die 27. n. 17.

Quid Areopagus, & unde dicitur?

Ornatus & solutus dicitur dedicasse.

Dij Inferi.

Oedipi monumentum.

6 Hac etiam die mors infausta Alcibiadis, qui fortunæ expertus est & ubera & terga, factus per alta & dejecta ejusdem ludentis pila. Invidia Lacedæmonum (quippe arbitrabantur, res suas in tuto non positas, etiam Athenis ad illorum nutum cum triginta tyrannis, superstitè Alcibiade, qui amicitia Pharnabazi Phrygiæ præfecto, transire meditabatur ad Persas) instructa nex Pharnabazi perfidiâ, apud quem summo ho-

honore habitus Alcibiades. Qui ad necem missi fuerant, non auri ingredi domum, eam circumstantes incenderunt. Alcibiades praesentis, vestium & stragulorum magnam partem collectam in flammam iniecit, ac obvoluto chlamyde brachio sinistro, dextra strictum ensen tenens, antequam coniecta ignis absumeret, exiit per flammam illaesus. Barbari, ut viderunt, dissipati sunt; sed eminus coniectis jaculis, sagittisque immixtis interemerunt. Cornel. Nepos d. Vit. Imper. Graec. & Aemil. Prob. in Alcib. Addit Plutarch. in eo: Degebat tum forte in quodam Phrygia pago, habebatque secum Tymandram meretricem, matrem Laïs Corinthia. In somnis autem visus sibi erat, vestem Tymandriae induisse, eamque caput ipsius in ulnis tenuisse, atque ut solent mulieres, furo & cerussa faciem pinxisse. Alij imaginatum ajunt, caput sibi à Mageo (Pharnabazi fratre) amputatum esse, & truncum cremari. Hoc pacto trucidatum Tymandria sustulit, & ijs, quas suas in promptu habebat, tunice velatum, splendide magno cum studio sepelivit. Plures fortitudinis honores demeruit. Vulneratum ad Potidæam, quem Socrates tunc protexit scuto; is prius omnium testatus est, dignum esse qui coronaretur, armaturaque integrâ donaretur. Plutarch. d. Samij statuas ei aeneas in Jononis templo erexerunt. Pausan. cap. 181. Opus insignis artificis describit Plinius, lib. 34. cap. 8. Alcibiadem, lampadeque accensa marem ejus Demaraten sacrificantem. Ibidemque cap. 6. inquit: Cum bello Samiiti Apollo Pythius fortissimo Graecorum gentis jusserit, & alteri sapientissimo, simulacra celebri loco dicari; invenio & Pythagora & Alcibiadi statuas in cornibus Comitij positas. Astipulantur Plutarch. in Numa, & Rhodigin. lib. 28. cap. 12. Insigne ferebat in clypeo Cupidinem cum sagittis. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 22. Plutarch. in eo, signat Cupidinem fulminantem. Athenaeus, lib. 12. cap. 16. tantum fulmen.

7 Inter Aegyptios dedicatio navigij Sesostris, & statua aurea Sebachi. K. Aegypt. In historia fabulosa, seu mythica refert praefata Diodor. Sicul. lib. 1. n. 28. Navigium praterâ cedrinum CCLXXX. cubitos longum compaginavit, extrinsecus auro, intrinsecus argento obductum. Hoc Deo, quem Thebaei religiosissime colebant, dedicavit: duos insuper obeliscos, &c. Deus Thebaeorum erat Apis sub bovis specie, ut ait Kircher. 1. p. Oedip. Syntagm. 1. cap. 5. De Sebaccho, Sabacio, seu Sabazio (de quo idem ibid.

cap. 10. Dynast. 25.) inquit Diodor. n. 41. Nazione Aethiops, Deorumque cultu & benignitate antecessoribus cunctis superior. Pietatem ejus summam ex visione somnij, & abdicatione magistratus astimaveris. Nam Deus Thebarum Praeses in somnis ipsum alloqui visus: Feliciter & beatè regnum Aegypti tenere non posse; ni diffectis, quorquor essent, sacerdotibus, per medium ipsorum cum satellitio transiret. Quo sapius iterato, sacerdotes undequaque accersens, & Deum, si diutius subsistat, offendi, ait, qui per somnium aliàs nequiquam talia jusserit. Purum igitur sceleris & piaculi abire, & factu vitam reddere, quam Deo molestum esse, aut vitâ per eadem nefariam polluta, Aegyptio dominari malle. Itaque regno tandem indigenis reddito, in Aethiopian se recepit. Hic, suffocato in Nilo Anysi, Aegypti Rege, luminum orbo, quinquaginta annis regnavit, & fugit in patriam; erecto templo Dianae Bubastae, de quo d. praeced. n. 8. Templum in media urbe situm pro speculo est: illud materia figuris sculpta ambit: interius delubrum ingenti procerissimarum arborum manu confitratum luco ambiente, in quo delubro statua est. Ab ejus ingressu via usque in templum Mercurij, utrinque arboribus in caelum euntibus: vestibulum sublime figuris senum cubitorum ad ornatum. Ita Herodot. lib. 2. n. 45.

8 Sesostris ergo postquam ubique locorum & gentium sua signa reliquisset (quin eximeret terram sanctam, dum ingressus Jerusalem spoliavit sacrum templum, ac in extremis Palestinae posuit signa sua signa) etenim vel in Jonia dua hujus viri figurae visuntur in petris incisae, ut ait Herodotus, lib. 2. n. 30. subjugata Aethiopia reversus est in Aegyptum: quò frustratis insidijs à fratre meditatis, quierè mansit, usque in bellum Colchorum, ubi etiam in statua scripserat: Hanc ego regionem meis obtinui humeris: verum elusus à vanitate, quippe victus à Saulace, Phasidis Rege; ut videbimus, 6. Mart. n. 2. Solus hic Aegyptius Rex (subdit Herodotus) imperio potitus est Aethiopiae. Monumentum quoque sui reliquit ante adem Vulcani, lapideas statuas duas, unam suam, alteram uxoris; quatuor autem toridem filiorum. Huic statua longo post tempore, quàm Darij Perse statua anteponeretur, non tulit id sacerdos Vulcani, negans Darium tales res gessisse, quales gessisset Sesostris Aegyptius. Per indicem praemissi in Prolog. Galeat. §. 8. n. 6. Alia Sesostris statua adinstar Memnonis designatur à Pausania. Colossus, qui Thebis (ait cap. 40.) est trans Nilum, majore utique cum admiratio-

Sebachi statua, & regni abdicatione.

Templum Dianae Bubastae.

Statua Sesostris.

Colossus.

Alcibiadis rex.

Somnium.

Statua.

Clypei insigne.

Navigium Sesostris.

ne spectavi. Statua ibi est seacnis hominis: eam multi Memnonis nominant; at ipsi Thebani Memnonem esse negant. Audivi etiam qui Sesostris illam statnam esse dixerint. Eam Cambyses diffidit: & nunc etiam superior pars à vertice humi jacet, reliquum autem sedere videtur; ac quotidie sub ipsum Solis ortum, sonum cadit quallem ciuhara.

DIES XXIII. JANUAR.

X. K. I. G Rad. 3. Solis in Aquario, in quo Lyra occidit. Ovidius, v. 651. Haec ubi transferim Capricorno sede relicto, Fulgebit toto jam Lyra nulla polo. Idem Columel. & Ptolom. qui addunt, vesperè pluvia cum Aquilone. Sequitur Aetius. Occidit manè ala dextra Corvi. Alsted. Uranon. Firmicus signat influxus hujus gradus, dicens: Radiatore natos facit potentes, sed in jacturam, quia in suos crudeles. Ab omnibus despiciuntur, & detrahent ita ut illos vel amici fugiant. Vir una manu caput suum tenens. Sph. Arab. Fallitur Adrichomius hodie assignans in Chronoc. ann. 1656. tertiam emulsionem columbae ex Arca Noè; illi secundam. Vide d. 25. n. 1.

2 Post surrectam à Jacobo benedictionem primogeniti ab Isaac (qui expavit, ubi pro illa accersit Esau: etenim tunc in ecstasi raptus cognovit Dei esse voluntatem, quòd per Jacob Messias venturus veniret, haeredem promissionum, sibi factarum & Abraham: quare id quod nescienter fecit, ferio confirmavit, subjungens: Benedixi ei, & erit benedictus. August. hic quaest. 80. & 16. Civ. cap. 37.) Esau subditus per patrem filio minori, etli lætus, eò quod simul praedixerit, aliquando jugum excusurum (quod factum sub Joram filij Josaphat, Regis Juda, 4. Reg. 8. 20.) odio implacabili exaruit in Jacob, corde concipiens, illum occidere post mortem patris, quod scientes uterque parens, miserunt Jacobum ad atavum Heber, cui ministravit per 12. annos, donec ira fratris quiesceret. Hebraei apud Genebr. ann. 2239. etiamque narratur in Seder-Ol. cap. 2. fingunt: post notitiam malignitatis Esau in fratrem, statim decreverunt parentes mittere in Mesopotamiam ad Laban. Genes. 27. à 42. Joseph. 1. Antiq. cap. 18. & August. 16. Civ. cap. 38. Quinimò Heber (non atavus, sed abavus) ann. 59. retrò fato functus, ut observat Tornieil. in Tabul. Chronolog.

3 Ex Bethagla, ubi denuò Aegyptij ploraverunt Jacob, cum ejus cadavere biduo

Isaac cognovit non errasse in errore.

Jacob latet stratum in domo Heber.

Josephus cum comitibus pervenit Hebron; ibique sine luctu patrem depoluit (quippe bis fecerat) postridièque cum eisdem alia viâ, qua venerat, reversus est in Aegyptum. Vid. 19. Octobr. n. 3. Hodie signatur à Joseph. Gorionid. in Histor. Judaic. ortus Josue; 60. ann. ante exitum, & 156. ab ingressu Israël in Aegyptum. Tornieil. ann. 2484. Salian. & Briet. 2491. Quis fuerit, constabit iucessione Ephemeridum. Anno secundo exitus Israël de Aegypto perfecta est vestis gloriae Summisacerdotis. Scaliger. in K. Postridiè, n. 2.

4 Jejunium, eò quòd hac die congregati sunt omnes Israëlitae adversus tribum Benjamin, propter violatam Levitæ uxorem. Leonard. Mar. & Scaliger. in K. Genebrard. addit, etiam propter simulacrum Michæ: quo die anno intercalari solstitium hybernum, dicunt apud illum in K. Rabbini. De malis in mala reuebant filij Israël, unde post erectionem simulacrorum Michæ, in flagitia enormia se dederunt, quorum in presenti bello poenas luerunt, cujus causa justa, sed in illa puniti, quin cognoscerent undecim tribus Israel, unde ipsi malum, sequentibus bellum justum. Judic. 20. à 18. Ita Rab. Isaac in HaKidat, & Philo Biblius in Aniq. ubi insignis apologus, quem legis, quippe non abs re. Quare ergo optima causa infelix exitus; videris Bernard. Serm. 27. in Cantic. Gregor. Magn. 21. Moral. cap. 3. Origen. Homil. 14. in Numer. ex Ethnicis Plutarch. in Pompejo, & M. Brut. Aul. Gell. lib. 2. cap. 18. & Maxim. Tyr. Orat. 35. & 37. Quomodo autem dicatur, Deum decipere contulentes, fusè tractavi Tom. 6. T. 2. ad illud Jeremiae: Seduxisti me Dominus & seducius sum.

5 Inter procaciores praecelluerunt Benjaminitæ, qui quidem uxore Levitæ Ephraimæ abuti sunt, quouique defuncta caderet. Cum ergo rediisset illam è domo paterna, quò fugerat, ut indicavimus d. 6. n. 4. d. 11. n. 2. dieque 12. n. 1. nec hospitari vellet in Jerusalem, quæ necdum expugnata; transijt in Gabaa Benjamin. Philo vocat Nobam (sive Nobe, civitatem Leviticam, de qua Adrichom. in Benjamin, n. 93.) quia noluerunt in Gabaa illum recipere cives, contra textum sacrum, Josephum & Rabbinos. In Gabaaone ergo cum esset, receptus est in hospitium à quodam Levita, nomine Bethac. Post coenam scelerati cives, pulsatis foribus, non uxorem, sed Levitam ad horridum flagitium deposcère, nec à malitia cessare, etli Bethac filiam suam & uxorem alteram in libidinem obtulerit; negans, hoipi-

Tumulatur in Hebron.

Josue ortus.

Perfecta vestis sacra Aaronis.

Jejunium propter Idolum Michæ & serè exterminium tribus Benjamin.

Deturpatur & exinquitur sede uxor Levitæ Ephraimæ.